



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 16. Episcopi impuniti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.
A. C. 1065.

§. XVI.

Episcopi impuniti.

In eadem epistola Petrus Damiani de alterius generis abusu querelas movet, quod nempe Episcopi dicerent, non licere subditis suis ipsos in Judicio accusare. *Quanta hæc est, inquit, arrogantia? quis fastus? ergo Episcopus bene maleve, suo arbitrio, vivat? & Fidelibus sibi subjectis succenseat, si vitia ipsi exprobrent? præsertim cum non se vertant ad tribunalia Sæcularia, quod non sine Dignitatis Episcopalis ludibrio fieret, sed ad Judicem Ecclesiasticum, ubi gravitate Sacerdotali remedia adhibentur. Equitatis consentaneum est, ut Episcopus accusatus innocentem se probet, vel humiliter reum confiteatur.* Boni consuluit S. Petrus, quod ex eo quæreretur, cur domum Cornelii Centurionis intrasset, & modeste facti hujus rationem reddidit. Pariter reprehendi in faciem a S. Paulo tulit. Si Episcopus in Ecclesia peccans in Ecclesia judicari nolit, quis deinceps Legibus Ecclesiæ subjectus esse volet? si filiis Ecclesiæ tuæ contra te mutire non liceat, unde foris testes accersantur? bis enim cum nulla tecum consuetudo

Act. 11. 3.

Gal. 2.

do
jungere, quod non nunquam, consideratis circumstantiis, Confessarii in Sacro tribunali possunt.

do fuerit, vitam & mores tuos ignorant. **Sæculum XI.**
 Ergo superbia perniciosissima in Ecclesia **A.C. 1065.**
 locum non habeat, audiantur justæ quere-
 le, quas Ecclesia ab Episcopo suo oppressa
 ad legitimum Præpositum defert, & ita
 Præfulum temeritas metu iudicii in Con-
 ciliis subeundi coerceatur.

§. XVII.

Martyres inter Sclavos.

Religio Christiana mirum in modum
 apud Sclavos plagam ultra Albim Se- **Adam l. IV.**
 pentrionalem Saxoniam incolentes propa- **c.n. & c. Sup.**
 gata fuerat, & Gothescalcus, magna illius **l. LX. §. 57.**
 gentis parte ad fidem conversa, anno **Boll. 7. Jun.**
 millesimo sexagesimo quinto a Paganis, **to. 20. p. 40.**
 quorum salutem quærebat, occisus est.
 Martyrium subiit septima Junii in urbe,
 quæ tunc Leontia, postea *Lenzin* seu *Lenz*
 dicta est. Socium gloriosi certaminis
 habuit Ipponem Presbyterum, in ipso Al-
 tari mactatum, multosque alios tam Lai-
 cos quam Clericos, varia supplicia pro
 Jesu Christo passos. Ansverus Mona-
 chus compluresque alii Ratzeburgi de-
 cima quinta Julii lapidibus obruti sunt.
 Cumque Ansverum sollicitudo teneret, ne
 sociis suis ad ferendum martyrium ani-
 mus deficeret, rogavit Infideles, ut ipsos
 prius lapidarent. Ipse flexis genibus pro
 persecutoribus suis oravit.

D f

Inte-